

fit mortuus, respondemus: idem de peccatoribus in Sp. S. respondendum^o judicamus. Christus passus est pro iis, qui sunt reprobi, non quatenus^o sunt reprobi. Pro impœnitentia enim & incredulitate finali passus^o non est, quippe quæ damnationem actu infert, secundum istud Marc. 16, 16. Sic Christum pro iis, qui peccatum in Spiritum S. committunt,^o NB. non quatenus tale peccatum committunt, passum & mortuum^o esse dicere possumus. Inquit ipse salvator: qui peccat in Spiritum S. non potest habere remissionem peccatorum Marc. III. 29. adeo plene ac plane denegat Christus omnem vim & efficaciam sui meriti peccatoribus in Sp. S. quæ talibus. Sed quia excepimus: Peccatorem in Sp. S. meritum Christi sibi non posse applicare; Inde Niehenckius p. 58. instare vult:

Quicumq; sibi Meritum Christi applicare non possunt, illorum applicationem non possibilem DEus non vult, s. DEus non vult ut sibi applicent:

At qui Peccatores in Sp. S. &c.

Ergo.

Resp. totum concedendo, modo ad prædicatum Majoris addatur: DEus hoc, ut sibi applicent Christi meritum, non vult voluntate consequente, ut justissimus malitiæ præfractæ vindex & judex. Instat autem Pseudoterminista: Si ita concludunt Terministæ, ex eorum mente, culpa damnationis, non in ipsum hominem sed DEum redundabit, & sic aperte calvinizant: scilicet, quia Niehenck dicit sine ratione & contra rationem.

Resp. Culpa manet in homine; Poena autem & Vindicta est penes DEum. Supra memini Orthodoxi Theologi Rostochiensis B. Affelmanni, Qui DEum dicit, velle voluntate beneplaciti reprobos damnari. Ergo D. Affelmannus Calvinizat?

Excipimus: Peccatoribus in Sp. S. gratiæ fores in hac vita esse occlusas & quidem simpliciter, quæ talibus.

Ad quam exceptionem respondet Niehenck. p. 58. Nos committere petitionem in principii: Ast vero qui thesin suam proponit & defendit, non petit principium; Sed ineptus opponens, qui conclusionem negat. Resp. Noter Genuinus medius terminus extat in Scriptura Marc. III. 29. 30. Ebr. II. 4. seqq. Ebr. X. 26. Posito autem hoc, (Peccatoribus in Sp. S. fores gratiæ sunt occlusæ) pro medio termino, quo inconvertibilitas eorum statumitur; nos tamen non committeremus petitionem principii, quæ sit circulus vitiosus; Quia non probatur idem per idem, sed est, ut Aristoteles appel-

lat;